10.
449

Celeberrimæ Lugduno-Batavæ *Academiæ palæſtra,* Bellumque incruentum,

IN QVO

ATHLETARVM CERTAMINA & TRIVMPHI DELINEANTVR.

SIVE

Carmina gratulatoria in diſputationes & inaugurationes quorundam amicorum, quondam ſtudioſorum,

CHRISTIANO MASVRELIO HYPERIO, Authore.

D
78



LVGDVNI BATAVORVM
Excudebat GEORGIUS ABRAHAMI à MARSE. cIↃ IↃ. C. XXX.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
449 D 78

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
449 D 78

Nobiliſſ. Ampliſſ. Prudentiſſimiſque Viris ac Dominis,

Comitatui Hollandiæ à Conſiliis & rationibus,

Dominis ſummo honore & obſervantia ſibi colendis.

O Phœbo *gens chara patri, dilectaque* Muſis,
Doctrina inſignes, & pietate viri,
Si vacat, & rerum nihil impedit, iſta legantur
Vobis ſinceræ carmina mentis opus.
Si placet attenta pervolvite mente libellum,
Quem meritò vobis noſtra camœna dicat.
Tempore non quovis tractantur ſeria: rerum
Immodico preſſi pondere deficimus.
Interdum mœſtos recreat Phœbæa *poëſis,*
Sæpè etiam exiguis gratia rebus adeſt.
Noſtra Dionææ Veneris *non pagina amores*
Pectora queis juvenum corripiantur, habet.
A nobis ſunt ſcripta procul, quæ dira juventæ
Toxica ſub dulci melle bibenda ferant.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
449 D 78

Pieridum *teneris ſanctum inſpiramus amorem*
Mentibus, & nobis Muſa pudica placet.
Cœlicolûm cùm ſint caſta acceptiſſima Regi,
Sacrorum ut vatum nos monumenta docent,
Chriſtigenûm de gente ſatis æquiſſima res eſt,
Vt placeant omni tempore caſta viris.
Vos queis Pierio *mens inflammatur amore,*
Tactaque ſunt Phœbi *corda calore ſacro,*
Dirigite huc greſſus, ſine funere cernite bella,
Queis præſunt Phœbus, Pallas, *& aqua* Themis.
Hîc animum curis ægrum oblectare poteſtis,
Dulce atque optatum Muſa *levamen erit.*
Arte novas acies inſtructas cernitis, atque
Bella nova, & victis hoſtibus exuvias.
Non clypeo hîc natæ res decernenda Diones,
Neptuni *quondam eſt quem fabricata manus.*
Non opus hîc armis Thetidis, *queis ſævus* Achilles
Crudeli letho corpora multa dedit.
Viribus ingenij, facundæ flumine linguæ,
Præſidio veri res dirimenda venit.
Vrgetur ſtimulis hîc grex ſtudioſus honeſtis,
Juſtaque pro meritis præmia quiſque refert.
Exulat à caſtris procul his inviſa vacuna,
Et quiſquis ſomnos Endymionis *amat.*

CHRISTIANVS MASVRELIVS
Hyperius.
N. & A. V.
Addictiſsimus.

Honori
GISBERTI POLLIONIS
Hagienſis.
Pro ſummis in utroque jure honoribus diſputantis.

MIles ut armipotens initurus prælia *Martis*,
Agmina cùm ſtricto cernit mucrone coire
In cædes animata truces, propriæq́; ſalutis
Prodiga, prȩſẽtis diſcrimina temnere mortis
Nec præter furias quicquã ſpirare, minaſque
Dumque repercuſſas valido clamore virorum
Æthereas reſonare auras, & claſſica triſtes
Emiſiſſe ſonos ſtupefactis auribus haurit:
Inter tot fati ſpecies, horrendaque belli
Et variæ ſimulacra necis, conterritus hæret,
Immotuſque loco; verùm in præſtantia bello
Pectora collegas, ad prælia dira paratos
Lumina cùm torquet, multoq́; petenda labore
Præmia, & egregios ſecum victoris honores
Evolvit tacitus, ſubitò formidine pulſâ
Ardet in hoſtiles ſe præcipitare phalanges,
Accenſoſque animos generoſo exſuſcitat igni.
Atque hæc certa ſedet menti ſententia, pugnæ
Ex profligato magnâ cum laude coronam
Hoſte tuliſſe ſuo, pulchræ vel funere mortis
Nomina perpetuis ſcribenda relinquere *faſtis*:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
449 D 78

Sic quoq; cùm in ſacram *Aſtrææ* deſcēdis arenam
G I S B E R T E, & denſas acies te ſurgere contra
Conſpicis, & gravidis depromere ſpicula thecis,
Exanguis formido tuos concuſſerat artus
Aſpectu primo; ſed ſpes animoſa pericli
Contemptrix, nec non laudis ſitibunda decoræ
Sublevat, exacuitq; animum mœrore jacentē.
Eia age collatis bellum committito ſignis,
Nec trepida conferre manum, ſed fortiter hoſti
Obvius adverſo conſtanti robore perge.
Non tibi vibratæ quicquam nocuiſſe ſagittæ
Ægide munito poterunt, non viribus ullis
Aut ſtructis vincêre dolis. te diva ſupremo
Sidere lapſa Themis divino numine fultum
Firmabit, facilique manu præſtantia dona
Nectarei ſucci ſitibundo porriget ori.
Et te victorem fuſo ſine ſanguine claris
Ornabit titulis olim, *Myſtamque* ſacrabit
Magnificum, & multo laudis cumulabit honore.

Virtuti, & honori
GISBERTI POLLIONIS,

Cum in nobili Batavorum Lugduno
J. V. Doctor renunciaretur.

HVnc diem quis non celebret dierum
Maximum? quis non tibi gratuletur,

Proſ-

Proſperè & curſum ſtudij & laborum
Eſſe peractum?
Hunc diem quis non niveo lapillo
Signet, & *faſtos* numerarit inter,
Et melos feſtum canat, atque vultu
Gaudia ſpiret?
Plauſibus lætis, choreiſque *Muſæ*
Geſtiunt, miris & in aſtra alumnum
Laudibus tollunt, meditando ſacrum
Pectore carmen.
Ægide & prodit poſitâ *Minerva*,
Cui comes pulcher chorus it *ſororum*,
Et ſuo vati *Clariæ* fluenta
Præbibit vndæ.
Magnus it plauſus ſuperas ad auras,
Et ſalit cœli domus in triumphum,
Quando *Doctorum* rutilâ in coronâ
Pollio fulges.
Nam tenax recti *Themis*, è ſupernis
Sedibus, terras repetit benigno
Numine, & palmam, meritique honoris
Prœmia defert.
Te ſacerdotem ſibi conſecrari
Atque per vicos plateaſque Myſtam
Voce præconis præeunte mandat
Ritè vocari.
O diem lætum, placidumque ſidus!
Auream ô meſſem, ſapidoſque fructus,

Quam

Quam metis, quos & modò copioſo
Fœnore carpis!
Fauſtus & felix tibi ſit triumphus
Tantus, ô terris ſuperiſque chare
Myſta; præſtamus tibi gratulantes
Carmine honorem.
Tu ſenis vivas *Pylij* ſenectam
Viribus pollens, miſeriſque præbe
Dexteram, & prudens ope deſtitutis
Conſule rebus.

Honori

DANIELIS SYNAPII

Cum pro gradu Magiſterij in Philoſophiâ conſequendo feliciſsimè diſputaret.

SI qua vnquam Superi præconia honoribus æqui
Pro meritis ſtatuere ſuis, ſi debita magno
Iure triumphanti tribuuntur præmia palmæ,
Cur tibi promeritos nos invideamus honores,
Et partum virtute tua livore maligno
Obſcuraſſe decus, Iuvenis generoſe, velimus,
Et miſerum non juſto animum conſumere zelo?
Non ita. tam fœdam terris clementia peſtem
Avertat divina: tuæ præconia famæ
Noſtra *Camœna* licet tenui decurrere geſtit
Pectine. tu Vatem dum bella ſcholaſtica chartis
Jllinit, & tentat fida in monumenta referre
Conſuetâ bonitate juva: tu fronte ſerenâ

Ad-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
449 D 78

Adſpirato meis Iuvenis clariſſime votis,
Atque boni quæ mente pius tibi metra ſacravi
Conſuluiſſe velis, nec dona exilia ſperne.
Haud aliter quam cum turrito vertice rupes
Conſpicienda, *Jovique* minax, atque æmula cœli
Tractibus, *Æolij* ruptis quam carceris antris
Bellatrix infeſtat hyems, dum luce coruſcans
Flammivomâ cunctas irarum effundit habenas
Iupiter, & fruſtra ventis ad bella vocatis
Horrendùm ſævit, fluctuque involvit *Olympum*
Neptunus, dirumque fremunt *Zephyruſque*, *Notuſque*
Fundamento hæret tamen, & concuſſa reſiſtit
Fortius, & cœli furias irridet inanes
Mole ſuperba gravi: ſic tu celeberrime caſtris
Phœbæis miles Muſarum è montibus altis
Aonidum in dubiam deſcendere ſolus arenam
Auſus es, & belli caput objeciſſe periclis.
Non animum valuere tuum inſultantia contra
Agmina, denſatæque acies terrere virorum,
Qui modò præſtigiis, velataque arte latenti
Fraude, modò & totis collectis viribus, uno
Exarſere theſes ſtudio convellere doctas,
Convulſaſque feris conſcindere dentibus, atque
Impoſito calcare pede. at felicibus orſis
In medias acies clypei munimine tectus
Irruis, in quem fracta cadunt, eliſaque languent
Spicula, prævalidis juvenum licet acta lacertis.
Tanta reluceſcit gravitas in moribus, atque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
449 D 78

Majeſtas veneranda tuis, ut protinus hoſtes
Percellas terrore novo, multumque moventes
Pectore turbato clypeum deponere & haſtam
Pænè adigas: fortes animos tibi magnus *Apollo*
Sufficit, & vires cordis penetralibus indit.
Singula quid referam? varijs ambagibus, atque
Obſcuris aperis ſenſa intermixta latebris,
Et *Sophiæ* enodas nodos, laqueoſque latentes
Sermonis dubij certo velut indice ſignas,
Tetricaque arguto vivacis acumine ſolvis
Ingenij argumenta tui. Quid plura? potenti
Eloquio, & dulcis linguæ moderamine dura
Corda ſtupere facis, miriſque hoſtilia vincis
Robora, fucataſque dolis fallacibus artes
Artibus, & felice redis certamine victor.
Tu potes inſultus gelidæ formidinis expers
Suſtinuiſſe graves, proprio & te *Marte* tueri,
Detractiſque hoſti ſpoliis ſine ſanguine fuſo
Sudoris pretium, parta erexiſſe trophæa.
Iure igitur juſtis canimus te laudibus, atque
Carmine ſublimem cœli ſuper aſtra locamus
Flos Iuvenum, quem ſolerti natura creavit
Indole, & ingenij cumularunt dotibus amplis
Tres *Charites*, Divoque *Iovis* Diva edita partu.
Pergito (ſubjectis liceat calcaribus vltrò
Currentem ſtimulare) viam tenuiſſe ſecundis
Auſpiciis initam, non te metus uſque retardet
Degener, aut operæ moles oneroſa fatiget.

Atque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
449 D 78

Atque retrò preſiſſe pedem compellat; inertes
Sedulitatis amans caſtris exterminat, atque
Corda veternoſo damnat torpentia ſomno.
Hæc præclara ſuis tribuet cultoribus olim
Præmia, quæ duros gratâ mercede labores
Solentur, fructuque dabit gaudere ſuavi.

In Inaugurationem DANIELIS SYNAPII

Cum artium liberalium Magiſter renunciaretur.

PRogenies generoſa *Iovis*, ter maxima cætus
Gloria virginei, decus ô ſublime ſororum,
Seu te *Parnaſſi* præcelſa cacumina montis,
Seu *Pindi* juga amœna tenent, ſylvaſq; pererras,
Ad nos præcipiti tendas veſtigia greſſu,
Et ſacris ſtipata veni celeri pede Nymphis,
Calliope, tibi ſurgit honos. En veſter alumnus
Pierijs miles qui deſudavit in agris
Perdius & pernox, curſu felice laborum
Emenſo ſpatio potuit contingere metam,
Tot quondam deſiderijs, votiſque petitam.
Vos tantis ſocij pubes ſtudioſa triumphis
Applauſiſſe juvet, vultus atque ora tenete
In tali defixa viro; cui læta juventa
Quamvis vere ſuo nondum floreſcere cœpit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
449 D 78

Nec primâ ſignavit adhuc lanugine mentum,
Attamen ætatis (laus ô pulcherrima!) tempus
Turpibus haud poſuit ludis, non blanda malorum,
Otia cunctorum matrem eſt ſectatus iniquam,
Aut thalami furtiva *Venus* quę gaudia ſpondet
Illiciti, & ſpurcos impuræ mentis amores,
Alite ſublimes veluti qui fulminis, eheu,
Verbere proſternunt animos, & ad impia quęq;
Incendunt tentanda viros: ſed fortibus auſis
Oppoſuit ſeſe vitiorum immania contra
Portenta, & tetris oriunda paludibus *Orci*
Monſtra, & felici pugnæ certamine victor
Egregius lucis ſuperas emerſit ad auras,
Non ſecus ac Divæ *Iunonis* numine læſo
Immiſſum colubrum puer exanimavit utrumq́
Amphitryoniades, *Hydræque* inflata veneno
Fulminei ſecuit mucronis acumine colla.
Iure licet tanta virtute tumeſcat alumni
Amſtela dives opum, quæ tale in luminis oras
Effudit pignus: tibi *Lugdunenſe Lycæum*
Huius magna tamen debetur portio laudis,
Quod varias Iuvenis mentem excoluiſſe per artes
Diceris, & titulis ornas, & laude ſuperbâ.
Tu verò, *Daniel* doctiſſime, digna laborum
Præmia, conſtanti tibi quæ ſudore paraſti,
Suſcipito. In tantum cur ô decus ire recuſas?
Quid dubitas? cœli virtus regione relictâ
Laurea ſerta tibi, decus immortale triumphi,

Incly-

Inclyta promeriti deferre inſignia viſa eſt:
Exulta, dignaſque Deo perſolvito grates
Ter felix, *Chriſto* cui fortunante peracta
Iam fortuna ſua eſt! magnum maris æquor araſti,
Nec te *Sirenum* modulamina dulcia cautum
In ſtructos traxêre dolos, *Circæaque* mentem
Murmura non rapuêre tuam; fraudeſq; malignas,
Inque tuum fabricata caput, certamq; ruinam
Conſilia evadis: tu rara exempla ſecutus
Prudentis *Läertiadæ* ſpirantibus *Auſtris*
Optatum ingrederis portũ. Salve inclyte, ſalve
Flos juvenum, ſalve ô pelagi defuncte periclis.
Sit licet exiguo tantis nos vſque triumphis
Carmine gratamur, lætaſque ad ſidera voces
Iactamus: longâ vivas digniſſime vitâ:
O patriæ columen, benè res habet, anchora, jacta eſt.

Honori
THOMÆ ERPENII

Cum pro gradu Magiſterij artium ſummâ cum laude diſputaret.

QUiſnam eſt ille ſacræ laudis ſuccenſus amore,
Quem promptũ juvat in *Phœbi* deſcendere arenã,
Hoſtilique manu vibratis undique telis
Objectare caput, ſcuti & munimine fretum
Adverſo certare gradu, roburque minacis,

Inſtan-

Inſtantiſque hoſtis meliori infringere dextra?
Cernite ut hic miles turbato pulvere membra
Conſperſus redeat, ſpolijſque potitus opimis,
Debita virtuti victricia ſigna reportet!
Fas mihi ſit juvenis morum probitate refulgens
Per laudes iviſſe tuas, tenuique camœnæ
A te promeritum plectro ceciniſſe trophæum.
Quid prius admirer? veſtris *Suadela* labellis
Diva ſedet. quando ad reſponſa ferenda reſolvis
Prudens ora, ſtupent atque in te lumina figunt
Gens *Phœbo* ſacrata Deo, ſtudioſaque pubes
Exemplis ſtimulata tuis, contendere pugnâ
Conſimili, celebrique ſibi virtute parare
Nominis & famæ nunquam pereuntis honorem
Ardet, & effuſo palmam ſine ſanguine ferre.
Felix qui tantos felici *Marte*, laboris
Ornamenta tui potuiſti ferre triumphos.
O quam rectè hominum potes inſpirare medullis
Muſarum, *Sophiæque* ignes, quam fortiter urges
Subjectis animos ſtimulis & ſegnia corda,
Quando Doctorum claro ſpectante ſenatu
Abſtruſos aperis ſenſus, & tetrica ſolvis
Argumenta, tibi argutus quæ objecerat hoſtis!
Perge indefeſſus ſtudioſa indagine libros
Volviſſe & triviſſe manu, quos ſedula quondam
Cura *Stagiritæ*, quos mens divina *Platonis*
Parturiit, donoque dedit vitalibus auris.
Inceptam decurre viam, clariſque Sophorum

Per-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
449 D 78

Perdius & pernox veterum impalleſcito ſcriptis.
Hæc perlecta, rudi quamvis ſub cortice tectas
Doctrinæ præſtantis opes, quæ gurgite vaſto
Oceani, vel viſceribus reperirier imis
Non valeant terræ, depromentlargiter, atque
Pandent ingenuas venerandæ *Palladis* artes,
Quas non ulla dies, venturi aut temporis olim
Deſtruet innumeris obnoxia caſibus ætas.
Illa ſinu *Ambroſiam* pleno, dulcedine mirâ
Fragrantem, dulceſque magis gratoſque liquores
Nectare, vel læto ſpumantis munere *Iacchi*
Uſque miniſtrabunt, quæ fercula lauta ſupremo
Cœlicolûm patri formâ vultuque decorum
Divini referunt *Ganymedem* offerre *Poëtæ*.
His ſatiata epulis læto modulamine cantus,
Æterno rerum domino præcordia gratam
Laudem eructabunt, immundi & turpia mundi
Gaudia, delitiaſque leves exoſa, boniſque
Ebria languebunt tantis, & ad ætheris alti
Languida anhelabunt ſedes. hoc tramite recto
Tutus in *Elyſios* poteris penetrare receſſus.
Quod tibi ut eveniat ſupplex humiliſq; benigno
Vota Deo devota fero, quò cœpta ſecundet,
Et curſum regat, & felici fine coronet.

GO-

GOSARDO DREMMIO

Cum de anima rationali diſputaturus eſſet.

FElici auſpicio lucis productus in auras
Dicitur, & natus meritò adſpirantibus aſtris,
Cui non brutorum vili de ſemine naſci,
Humanâ ſed carne datum eſt, rationis honeſtæ
Cui fixum immotumque manet dictamina recta
Conſilio meliore ſequi, quique illius apta
Colla jugo ſubdit docilis, patiturque magiſtram
Eſſe ſibi, & ſtudijs juvenilia tempora ſacris
Dedicat, & pulchris benè providus artibus; ille
Poſt exantlatos optato fine labores,
Sentiet haud dubij dulciſſima commoda fructus,
Durabunt ſeram quæ jugiter uſque ſenectam,
Extremumque rogum. Te te mea Muſa *Goſarde*
Dignum laude feret ſtellantis ad ætheris axem.
Non tu ſeponis commiſſa talenta profundæ
Telluris gremio, ceu ſervus inutilis ille,
Quem divina monet damnatum judicis ore
Pagina, deſidiæ mulctam, pœnaſque luiſſe:
Sed tibi conceſſis divino munere donis
Vteris, & *Sophiæ* ſtudioſâ indagine dulces
Veſtigas ſitibundus aquas, queis paſcere mentem
Languentem, & cœli ſuſtollere ad ardua poſſis.
Nec vanum deſiderium, vel inania vota
Suſpirantis erunt, cœpto ſi tramite pergas

Virtu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
449 D 78

Virtutis triviſſe viam, ingenuiſque *Minervæ*
Artibus ingenium, ſtudiiſque & rebus honeſtis,
Erudiiſſe tuum, non te per devia fallax
Præcipitem error aget; ſed tandem fine beato
Felices fontis dabitur conſiſtere ad oras.

MELCHISEDECO SANDRA
cum ſub tutelâ clariſſ. viri
GILBERTI IACHAEI
Philoſophiæ Profeſſoris diſputaturus eſſet.

RUſticus ingenuas haud ſano deſpicit artes
Conſilio, & *Muſis* præfert grave pōdus aratri
Nobilibus, ſecumque nihil ſublime volutat
Terrenis inhiante animo; ſitientia quippe
Cum nunquam expleri cordis penetralia poſſint
Argento, aut variis proventibus uberis anni,
Nec partis opibus fruitur miſerandus & illas
Hæredi ingrato dona illibata reponit:
Tandem membra trahens duro confecta labore,
Heu nimis infelix, inglorius exigit ævum.
At quorum virtus animis pulcherrima ſedem
Fixerit, haud illos ſtudio invigilare profano,
Diffluere aut luxu ſinit aut marcere veterno:
Sed placidis hominum mentes hortatibus implet,
Et ſtimulis generoſa ſuis languentia corda

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
449 D 78

Excitat, ingeniumque ſacras invitat ad artes,
Et *Clarias* oſtentat opes, *Nectarque* ſuave
Aonij laticis, præſtantia munera, prębet.
His te fluminibus, doctiſſime *Sandra*, rigatum
Nulla fames, aurique ſitis cruciare valebit,
Nullus opum torquebit amor, te nulla quietum
Sollicitudo premet, pones dum tempus in almis
Artibus, & *Clariis* miles luctabere campis.
Pergito felici cœptum ſubiſſe laborem
Tramite. Quid dubitas ſacros luſtrare receſſus
Aonidum, & dulcis ſpatioſa palatia *Phœbi*,
Jachæo monſtrante viam? pergite inclyte, perge
O *Juvenis*, nomenque tibi, famamque celebrem
Illuſtri virtute para: clariſſima virtus
Haud patitur ſegnes caſtris habitare ſeveris,
Sedulaque ignavas mentes, atque otia damnat
Deſidioſa, tibi *Phœbo* chariſſime patri
Muſarumque adamate choro, ſudore trophæa
Acquiſita tuo, & meriti tribuuntur honores.

GVINANDO RVTGERSIO,

Cum ſummis in Philoſophiâ titulis inſigniretur.

MAgnanimo, faſtiditis terreſtribus, auſu
Sublimis fertur, pinniſq; potentibus ambit
Æthereas virtus ſedes, & honoribus explet
Promeritos, ſed cura ſagax, & ſudor honores
Antë-

Antëeunt. *Guinande* labos, & ſplendida virtus,
Et ſtudium tibi grande parant nomenque, decuſq;
I, quo fata vocant, tibi quos *Leydenſe Lycæum*
Prętendit titulos, & honorum inſignia, cernis.
Et meritò. nam quæ ſolers vigilantia honore
Defraudata ſuo eſt? quæ non meruêre triumphos
Bella peracta ſuos, ſequitur ſua fama labores.
Macte animo, nec te tangat niſi vivida virtus,
Iuſtaque virtutis dimanans gloria fonte.
Veſtrarum digno (niſi ſit temerarius ille)
Carmine quis laudum præconia ſingula tentet
Scribere? ſublimes ſi fortè inſiſtere calles
Muſarum lubeat, tibi quis non arbiter æquus,
Et tua vernanti circumdet tempora lauro,
Conſpicuam & frontem foliis albentis olivæ?
In te unum effudit còrnu prædividite *Phœbus*
Munera, quæ ſeri, vel poſt tua fata nepotes
Attonitis ſimilis ventura in ſecla ſtupebunt.
Quin etiam ſacro *Pallas Iovis* edita partu
Admiranda tibi largitur munera, magni
Facundumq́ue facit latiali flumine *Tulli*.
Quæque *Sophûm* princeps dias in luminis auras
Extulit, abſtruſos ſenſus, myſteria ſacra
Cognoviſſe dedit, cauſaſq́ue reſolvere tectas.
Perge, nec incepti pigeat certaminis unquam
O præſtans animi *Iuvenis*, contendito ad altum
Virtutis culmen, nec te labor uſq́ue fatiget.
Perge, nec ingenium turpi torpere veterno

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
449 D 78

Permitte, at contra conſtanti pectore miles
Impigra *Palladijs* exerce pectora curis.
Succceſſus ſtudiis fauſtus, finiſque beatus
Fortunante, tibi dabitur, ſic auſpice *Chriſto*.
Flos juvenum generoſe tuis *Guinande* triumphis
Applauſum damus,& palmā decernimus omnes,
Quotquot *Apolloneis* ſacravimus inclyta caſtris
Nomina, & *Aonio* cantu gratamur ovantes.

Ad SIXTVM HOMMIVM FRISIVM,

Poſtquam theſes de Syllogiſmorum Geneſi, Euporiâ, & analyſi ſtrenuè defendiſſet.

QUi valido miles circumvallatus ab hoſte
Oppoſitas audet ſolus penetrare cohortes
Viribus infractis, nec non melioribus auſis
Armatam rupiſſe manum, perque horrida tela,
Sanguineoſque enſes, & formidabile ferrum,
Inveniſſe viam potuit *Mavorte* ſecundo,
Quâ patriam, civeſque ſuos, charoſque parentes
Obſidione levet durâ, certiſque periclis
Eruat, & dulci det libertate potiri,
An non applauſu, & vatum fuit ille favore
Dignus, & æternâ tolli ſuper æthera laude?
Scilicet egregios quondam Romana vetuſtas

Servant

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
449 D 78

Servanti patriam titulos, & digna laborum
Præmia conſtituit, quæ cuncta retexere verſu
Haud opus; & priſcis annalibus iſta leguntur.
Sixte Hommi Friſicæ terræ non parva futuræ
Gloria, delitium *Phœbique*, novemque *Sororum*,
Noſtra verecundo vultum perfuſa pudore
Detriviſſe tuas exili carmine laudes
Muſa fugit, cytharæque fides ſine lege, modoque
Turbatam quatiente manum formidine pulſat.
In *Phœbi* primum te deſcendiſſe palæſtram
Lecta corona virûm (quos & doctrina, piuſque
Relligionis amor, digno inſignivit honore)
Vidit, & in viridi vires, animumque virilem
Ætate obſtupuit. Quid nî? tu ſolus in agmen
Intrepidus denſum, nullo perterritus hoſte,
Irruis, & forti dextrâ vibrata retorques
Tela manu validâ magis, & ſpinoſa retundis
Argumenta, tibi *Logices*, *Phyſiceſque* periti
Quæ vario objecêre dolo, nodoſque latentes
Enodas, prudenſque ænigmata dura reſolvis,
Ingenii virtute tui, nulloque profuſo
Sanguine, victoris meritâ fers laude trophæum.
O patriæ deſiderium, ſpeſque unica gentis
Sixte tuæ (dubiâ nec enim tibi meſſis in herba eſt)
Majorum veneranda ſequi veſtigia perge.
Non mentes hominum numeroſa talenta politas
Divitis efficiunt *Crœſi*, non ſtemmata patrum
Antiqua, aſſiduo monumenta at parta labore

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
449 D 78

Doctrinæ, & virtus animoſa, & neſcia vinci.
Illa ſuos ſummo *Parnaſſi* vertice alumnos
Conſtituunt, prohibentq; mori, nomenq; decuſq;
Immortale ferunt, dignamque labore rependunt
Mercedem, Iuvenum generoſa hæc pectora *Phœbi*
Caſtra frequentatum ſtimulo & calcaribus urgent,
Accenduntque magis ſinceræ laudis amore.
Cœptam curre viam, nec te labor iſte gravarit
O *Juvenis*, maius venturo te decus ævo,
Amplior atque olim te gloria, honorq; ſequentur.

PETRO HECQVIO

Cum pro Doctoratus gradu in V. I. conſequendo publicè diſputaret.

AMara multo felle radix dicitur
Laboris; at reconditam
Fructus habere cernimus dulcedinem,
Qui temporis carpi ſolent
Laborioſi curſibus feliciter
Riteque tranſactis. ſatis
Quod omnium ſuffragiis & calculo
Virûm poteſt probarier,
Quotquot celebres arte, vel ſcientiâ
Innotuère ſeculo.
Hi cùm diurnis ſæpius laboribus
Adjungerent noctis bonam
Partem, vacantes ſeduli ſtudiis ſuis,

Omnem-

Omnemque luxum pellerent,
Supremum honoris attigêre verticem.
Quod evidentius licet
In te videre Petre. nam quot tu dies
Sudoribus conſumpſeris,
Solidaſque noctes pervigil tranſegeris,
Dixiſſe difficillimum eſt.
Non ſævientis aura brumæ te poteſt
Cœptis movere ab optimis,
Nec temperata ſideris ſerenitas,
Blanda & voluptas avocant.
Tibi dignitatum culmen hocce tramite
Permittitur conſcendere,
Obſcura legum quando volvis ſedulus
Et explicas volumina,
Phœbo favente, blando & Aonidum choro,
O gloria ô magnum decus,
Virentibus de frondibus lauri, tuo
Capiti corona texitur!

Ad PETRVM HECQVIVM

Cum Doctor I.V. inaugurare tur.

EN quò tenebris non patiens tegi,
Per alta virtus culmina gloriæ
Te raptat! en queis promerentem
Et titulis & honore mactat!

Nam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
449 D 78

Nam docta quod te *Laurea*, quod *Themis*
Ambit decorum, nunquid *adoreæ*,
  Nunquid laboris digna merces,
  Et ſtudij melioris hæc eſt?
Primos per annos indole maſculâ
Tentaſſe *Muſas*, & duplices modos
  Finxiſſe quantum! nempe cunctas
  Artium opes retuliſſe multum eſt.
Sed plus ſagacem jura per omnia
Vertiſſe mentem, plus bona publica,
  Privóſque mores, & potentis
  Juſtitiæ tenuiſſe normam.
O PETRE, tantum quid renuis decus?
Et te vocantem quid refugis Themin?
  Te vel reluctantem ſequetur
  Sponte ſuâ, tituliſque clarum
Ad uſque tractus ſiſtet Olympicos,
Nec non honorem nominis inclyti ab
  Oblivionis vindicabit
  Interitu, licet invidorum
Tetro veneno viſcera turgeant,
Ac impudenti voce reclamitent,
  Qui peſſimè cuncta æmulantur,
  Lurida turba, tenebriones.
At illa mundi finibus exulet
Immunda peſtis. tu modo ſuſcipe
  Oblata virtuti trophæa,
  Nobilibuſque piiſque factis

Exten-

Extende famam, laudibus & tuis
Conſcende Olympi ſideream viam:
Virtute nil exiſtimato
Eximium magis, aut decorum.
At nunc peractis ritè laboribus
Sperata dudum percipe præmia,
Doctorque Leydenſis Lycęi
Accipias titulos honoris.

EVERHARDO HERMANNI SCHUYLIO,

Cum ſub Præſidio doctiſſ. viri, D.M. GILBERTI IACHÆI *Philoſophiæ profeſſoris diſputaret.*

DIvinis implent ſuperas ut odoribus auras
Lilia, quæ croceo mixta colore nitent,
Alliciuntque ſacras vultu ridente Sorores,
Atque decora monent nectere ſerta comis:
Sic grato tibi doctrinæ & virtutis odore
Junxiſti *Muſas*, virgineumque chorum,
Ut traxit memora, & ſcopulos emolliit *Orpheus*,
Dum tangit doctæ plectra ſonora chelys:
Sic trahere & lenire animos *Everarde* ſodalis
Noviſti, & miris edonuiſſe modis.
Seu *Sophiæ* pandis ſolers arcana ſacratæ,
Corticis informi tecta ſuperficie,

Seu cum *Phœbæo* certamine tendis in hoſtem,
Inſtructum technis, multiplicique dolo.
Vidimus infractæ nuper tua robora dextræ,
Inclyta quæ victo ex hoſte trophæa tulit.
Nam quæ in te ſocij vibrabant ſpicula crebra,
Illa redundarunt in caput acta ſuum.
Perge decus Iuvenū, dum tempus amabile ſuadet,
Mûſarum lætis ſemper adeſſe choris.
Grata dies aliquando tibi ſplendeſcet ab aſtris,
Maxima cum largus prę̨mia *Apollo* dabit.
Si cœptum tibi cura tenax ſervaſſe tenorem,
Nil quod propoſito te remoretur, erit.
Sed tibi JACHAEO duce, præceptore diſerto,
Quodlibet ad ſtudium ſic patefiet iter.
Hæc ſunt quæ noſtrâ licuit te voce monere,
Si modò tu ſtimulis, qui benè curris, eges.

Ad EVERARDVM HERMANNI SCHVYLIVM,

Summa cum laude diſputantem.

AMiſſo nuper certamine luxerat hoſtis,
In *Phœbi* tecum malè colluctatus arenâ,
Indoluitque animo ſperatæ præmia pugnæ
Eſſe erepta ſibi; verùm cum mille nocendi
Non artes juviſſe videt, cùm prompta pharetris
Spicula vibrantûm (dictu mirabile) cernit

Incau-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
449 D 78

Incautum petiiſſe caput, calcataque plantis
Vexilla in prædam ceſſiſſe hoſtilibus armis,
Mœſtificum infando pectus cruciante dolore,
Atque animos addente irâ, magnoque furore,
Se rurſum ad nova bella parat tentanda, reſumptis
Viribus, atque datis in pacta fidelia dextris,
Exitium tibi grande, minax, ſummamque ruinam
En ſtruit. O *Phœbi* jam dudum exercite campis,
Degeneri haud trepides Iuvenis formidine victus.
Nec, quamvis tibi nulla genas lanugo virentes
Veſtit adhuc, dubita generoſo pectore in hoſtes
Concurriſſe viros, animis audentibus ibit
Adſpirans doctrina comes; vireſque ſecundas
Sufficiet, largoque hauſtu *Parnaſſidos* undæ
Diffundet robur, vegetumq; in membra vigorem
Aonidum dux atque pater. hoc numine fretus
Adverſas ſpernes acies, & tela potenti
Conquaſſata manu mage forti umbone repelles.
Sic præſaga boni mens augurat, atque futurum
Hoc mihi fatidicæ ſic ſuggeſsêre *Sorores*.
Interea obnixis precibus, votiſque ſupremum
Sollicitabo Deum, rata ſit ſententia, cuius
Æterno imperio res Divûm, hominumq; reguntur.

CORNELIO SYLVIO

Cum pro Iuris utriuſq; laureâ conſequendâ in publico Palladis ſacrario Lugduni diſputaret.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
449 D 78

O quales, quotq́ue athletas præſtantibus auſis
Palladio Lugdunenſis prodire paleſtræ
Cerminus è ludo, quorum in certamine virt⁹
Explorata diu, felix & *Marte* ſecundo
Dextera promeriti decoratur honore triumphi!
Non tot purpureis vitis *Lenæa* racemis
Luxuriat, vel nobilibus fœcunda corymbis
Enitet, & non tot viridanti culmine geſtat
Arbor amœna comas; docilis quot pulchra juventę
Germina, quæ largam maturis frugibus olim
Ingenii reddent multo cum fœnore meſſem,
Vrbs Leydenſis alit. Nec enim rationibus ullis
Res manifeſta magis *Phœbæa* luce probari
Indiget, & teſtem ſeſe experientia præbet.
Carminibus vatum eximiis ut *Theſſala* pinus
Nobilitata fuit, tua cum *Neptune* per arva
Marmoreas undas, in *Colchos* vexit, *Achivûm*
Æſonidem ſublime decus, belloque tremendam
Progeniem turmamq́; virûm: ſic carmine docto
Clara poëtarum ſuperas aſſurgis ad auras
O *Leyda*, & cœlum ſublimi vertice pulſas.
O fortunato naſcentes ſidere, tanta
Si bona noviſtis juvenes, quos mater alumnos
Lugdunum fovet, & placidis amplectitur ulnis.
Tu verò ante alios juvenis felicior omnes
Carminibus dicêre meis, cui ſingula ritè
Pro voto fluxêre animi, tibi ſternitur hoſtis
Ante pedes clypeoque jacet ſpoliatus & armis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
449 D 78

Inſigni virtute tuâ tibi dura laborum
Semina in immenſam cernis conſurgere meſſem,
Et meſſos animo fers exultante maniplos.
Jam tua, quæ diro ventorum turbine quondam,
Et tempeſtatum fuerat jactata procellis,
Siſtitur in tutâ portus ſtatione, carina.
Ergo pro tantis grates perſolve *Tonanti*
Muneribus, doniſque datis ſic utere, ut illa
Auctori prudens referas accepta bonorum.
Pauperibus referata piis ſit janua, aſylum,
Portus, & aura favens, atque anchora firma ſalutis
Rebus in afflictis eſto, oppreſſamque túere,
Impubis cauſam, thalami conſortibus orbas
Protegito, & dulci mœrentia pectora mulce
Alloquio, triſtemque opibus ſolare ſenectam.
Hæc tibi perpetuum vivendi regula nomen,
Cœleſteſque dabit poſt fata noviſſima ſedes.

Ad GERARDVM de NEVF-VILLE *Veſalienſem, cum pro gradu Magiſterij in Philoſophia conſequendo feliciter diſputaret.*

MUſarum dilecte choro GERARDE noveno,
Qui colis *Aonij* culta vireta jugi,
Accipe quæ tenui deduxit arundine Muſa
Ruſtica, tranquillæ carmina opus,
Etſi non tollunt, minuunt exilia, curas:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
449 D 78

Sæpè vel exiguis gratia rebus adeſt.
Hæc ludos etenim, & ſine funere prælia cantant,
Queis patre cum *Phœbo* turba novena præeſt.
Teque triumphantem reſonant ſpacioſa per arva,
Dum teris impreſſo ſigna inimica pede.
Præclarum felice refers *Mavorte* triumphum,
Hoſtibus effugii ſpemq́ue,modumq́ue negas.
Languida ſigna jacent, omniq́ue orbata decore,
Ad primum poſſunt nec remigrare gradum.
Signa jacēt,tamē haud ſunt ſanguinis imbre rigata,
Jure nihil *Mavors* hic ſibi juris habet.
Viribus ingenij res hic decernitur omnis,
Non verò armatis pulvere & igne globis.
O quali vel quo memorem te carmine? *Muſa*
Concipit, ingenio non benè fiſa metum.
Oppoſitum greſſu generoſo ferris in hoſtem,
Nec metuis telis expoſuiſſe caput.
Circum tela volant nervo propulſa ſonante,
Sed tamen ante pedes impete caſſa ruunt.
Invalidas vires, conaminaq́ue irrita rides,
Adverſos proprio dum fodis enſe viros.
Sed neq́ue vel fraudes inimici, arteſq́ue malignæ
Prudentem ſtructis implicuêre dolis.
Quos tibi concordi ſtudio, curaq́ue parabant,
Incauti laqueis interiêre ſuis.
Dicite nunc faſtus ubi ſunt, elataque corda?
Juncta ubi ſunt diris verba ſuperba minis?
Vos tenerum duris pectus contundere pugnis,
Inque

Inque genas uncis unguibus ire juvet.
Vos notat infami ventoſa ſuperbia labe;
Victorem ſequitur gloria parta virum.
Nam victor multo ſpoliorum faſce gravatus,
Et palmâ cinctus tempora ovante, redit.
Inſigni ducunt medium cum laude *Sorores*,
Et fundunt tales virgineo ore modos:
Vivat GERARDVS longo digniſſimus ævo,
Et numeret PYLII tempora fauſta ſenis.
Illius æterno nomen celebretur honore,
Altaque honoratum tollat ad aſtra caput.
Hinc exempla petant ſtudiorum ritè ſuorum,
Quotquot *Cecropiæ Palladis* urit amor.
Quos etenim lentos iuvit toleraſſe labores,
Tanta manet juvenes gloria, tanta ſenes.
Hæc ego dum lateo nemoroſa in valle, patente
Aure bibi, condens verba notata ſinu.
Quare agito fidis præbeto hortatibus aures,
Aurea nec vento tradito verba levi.
Difficile eſt quamvis virrutis adire cacumen,
Proſequitor cœptam tu tamen uſque viam.
Tempus erit cum te dignâ mercede beatum,
Sera licet, grandi carmine, ſecla canent.

Carmen dicatum Honori

GERARDI de NEVF-VILLE

Cum Magiſterij in Philoſophiâ gradum publicè conſcenderet.

Etſi

ETſi non populi plauſus animoſa requirat
Virtus, nec voces ore favente datas,
Præmia nec quamvis meriti venetur honoris,
Nec quicquid lucri plebs ſtudioſa probat:
Anne ideò indignam titulis & honore putemus?
An forti haud referet parta traphæa manu?
Ingenuis crimen tam tetrum mentibus abſit,
Noſtra nec inficiat pectora tanta lues.
Hæc Divûm ſtat decretis ſententia fixa,
Invitam quamvis ut comitetur honos. (pta
Quid monumenta juvat, veterumq́; adducere ſcri-
Faſtorum & priſcos pervoluiſſe libros?
Quid referam *Hoſtilium*, Samiumq́; *Agathoclea* Regē,
Ventidium, *Marium*, *Tarquiniumque* ducem?
Nonne hos obſcuro productos ſemine, virtus
Suſtulit ad faſces, imperijque decus?
Tullius æterno poſt funera nomine vivit,
Nomina dum patriæ clara parentis habet.
Nobilis & vivit famaque ſuperſtite vivet
Vates, quem peperit *Mantua* dives agris;
Inter *Sauromatas*, *Geticique* in frigore tractus,
Mellea *Naſonis* Muſa celebris agit.
Sed ſatis. Annales opus haud memorare vetuſtos,
Dum non exemplis ſecula noſtra carent.
Te juvenis præclare canam GERARDE, per omne
Ætatis tempus tu mihi carmen eris.
Candidus ô placiduſque tuo adſpirato Poëtæ,
Per laudes volitat dum mea cymba tuas.

Tu

Tu validas animo titubanti ſuggere vires,
Fac legat incertas tuta carina vias.
Talibus ac tantis applaudit jure triumphis,
Et meritò laudes noſtra *Thalia* canit.
Ut primum in mediam Sophiæ *Nova-Villa* palęſtrã
Prodiſti, o patriæ lux columenque domus,
Spectantûm nutu taciturnoque ore faventûm
In te hærent vultus, oraque fixa manent.
Scilicet è vultu ſpirat cœleſtis imago,
Quæ monuit clauſum corde latere Deum.
Sed neque nos error, vel opinio vana fefellit,
Lumina *Theſſalico* ludificante dolo.
Nullum robur habent *Circææ* carmina vocis
In Divos, Divûm aut quos fovet aura potens.
Ex oculis igitur ſacro radiantibus igne,
Aſſerimus veras numinis eſſe notas.
Auribus hæc longo quidnam ſermone juvabit
Inculcaſſe? fidem res manifeſta facit.
Haud ſecus ac quercus radici innixa profundæ
Ventorum adverſus flamina firma manet,
Et pluvios imbres, tempeſtatumque procellas
Excipit indomitis luxurioſa comis:
Sic ſolidæ te non hoſtilia robora dextræ
Vincere, non fraudes, non potuêre minæ.
Immotus, firmuſque hæres, hoſtemque furentem
Aggrederis, toto pectore in arma ruens.
Inſultus crebros clypeo meliore retundis,
Solerti tectos detegis arte dolos.

Diſſolvis variis perplexa ſophiſmata nodis,
Et tenebras veri luce repentè fugas.
Myſtica quando aperis, vulgoque ignota profano
Dogmata, cum pandis tetrica ſenſa *Sophûm*,
Sermone ut præſtas, & culræ munere linguæ,
Quantus *Nectareo* ſtillat ab ore decor!
Non malè te magnum dicam expreſſiſſe *Platonem*,
Pectora vel tanti tacta calore Dei.
Te ſtudiis addicta cohors, ſanctique ſenatus
Limina, honorati te ſtupuêre Patres.
Miratur dotes hoſtis, quas ubere cornu,
Largifluaque dedit dives *Apollo* manu.
Divinam trepidus mortali in corpore vocem
Sentit, & humanis numina clauſa fibris.
Quid faciat? quo ſe vertat? pavor oſſa pererrat,
Stringuntur rigido frigida membra gelu.
Plurima ſolicito tacitus dum corde volutat,
Dejectos vultus pallor obortus habet:
Ponit terribilis quæ cornua ſumpſerat antè,
Victorique herbas porrigit, atque manum.
Extemplò ſubitis fremuere palatia *Phœbi*
Plauſibus, it magni clamor ad aſtra *Jovis*
Nec mora ſublimis rareſcunt nubila cœli,
Aeris & ſolitò blandior aura redit.
Patricii, auguſtâ qui majeſtate verendi,
Promerito tribuunt præmia digna ſenes.
At *Muſæ* frontem lauro *Parnaſſide* cingunt,
Vertici adornando congrua ſerta parant.

Incla-

Inclamantque tuum repetito nomine nomen,
Utque decus fauſtum ſit tibi, mente vovent.
Utque bonis tribuant florentem & pace ſenectam,
Et faveant cœptis numina dextra tuis.
Fauſta etiam quæcunque tibi, dilecte ſodalis
Opto: triumphantem pectore, & ore feram.
Atq; aliquando canam metro graviore triumphos,
Muſica flexanimo plectra regente Deo.
Virtutes, laudeſque tubâ clangente ſonabo,
Quæ tua cunctorum facta per ora ferat.
Æquales in amore vices generoſe repones,
Si fuerim curæ pars quotacunque tuæ.
O ſi ſuccurrat memori *Maſurelius* olim,
Nil magis in votis, nil prius eſſe queat.
Non abrumpendus mortis niſi viribus atræ,
Candidus, amborum pectore, vivat amor.
Vive diu felix *Sophiæ* venerande *Dynaſta*,
Neſtoreos donent vivere fata dies.
Difficilles emenſa vias ſubſiſte *Camœna*,
Appulit optato feſſa carina vado.

In diſputationem
IANI BODECHERI BENNINGII

VAſtum per orbem cùm *Sophiæ* inclytis
Nil invenitur clarius artibus,
Illarum amantes cur celebri
Carmine non decoremus omnes?

Hos unus inter celſior emines,
Spinoſa pollens dotibus ingenî
    Dum ſolvis argumenta, Jane,
    Nuper, & inſidias ab hoſte
Prodis latentes. *Palladis* ægide
Protectus audes Martia prælia
    Tentare rurſus, nec potenti
    Spicula miſſa times lacerto.
Laudis cupido cedere neſcia
In campum alumnos acrior evocat;
    Nec non honores, atque famam
    Præmia conſtituit laborum.
Pulchro duello quin tua dextera
Hos, nunc & illos ſufferat impetus?
    Cur te fatiget multitudo?
    Pectora non animoſa terret
Caterva creſcens militis, & tibi
Mentis vigorem creſcere vidimus,
    Addiq́ue vires, namq́ue mentem
    Extimulat generoſa virtus.
Vultu minaci qui ſtetit inſolens
Eſt lapſus hoſtis ſpe ſubitò ſuâ,
    Et colla ſubmiſit capiſtro
    Inſolito, tibi mancipatus.
Ma-vorte dextro, ac omine proſpero
Si rurſus hoſtem vincis & opprimis,
    Rurſus coronam promerenti
    Vix juveni tibi vir negabit.

In inau-

In inaugurationem

IANI BODECHERI BENNINGII,

Cùm artium Magiſter crearetur.

MActe animo, nec te ſtimulet niſi maſcula virtus,
Egregieô Juvenis, decus & tutela ſororum
Pieridum, cui cura fuit luſtrare receſſus
Aonios, ſtudijſque addicere tempora vitæ
Ingenuis, tibi creſcit hpnos; decerpito lætus
Optatos fructus ſtudiorum, & digna capeſſe
Præmia ſudoris, queis te veneranda *Minerva*
Promeritum exornat. toties ſperata, tibique
Mille oritur votis lux exoptata, per omne
Ætatis tempus, quâ te præſtantibus audet
Adjunxiſſe viris *Pallas*, Sophiæque dynaſtis.
O te felicem, cui poſt certamina belli
Ritè peracta, caput ramis velatur olivæ!
Tempus adhuc veniet (nec enim præſagia mentē
Vana meam fallunt) quando ſublime tuorum
Dicêris decus, & caput inter nubila condes.

Ad IOSOPHATVM GEERDINXIVM

Publicè pro gradu Doctoratus in Medicinâ conſequendo diſputantem.

 Quando

QUando è ſublimi præſtans *Athleta* cathedrâ
Defendis proprio *Marte*, vel arte theſes,
Et ſolidis fretus rationibus argumenta,
Doctorum rectè diluis ipſe virûm :
Mirata eſt juvenem meritò ſtudioſa juventus,
Laudis & ad veræ eſt extimulata decus.
Hoſtibus at victis victricia ſigna tuliſſe
Te quando, ingenij dexteritate, videt,
Jure tibi partum gratatur læta triumphum,
Ingeminans & jò laurea ſerta parat.
Exemploque tuo ſimiles exoptat honores,
Quos ſibi peruigili ſedulitate paret.
Macte heros virtute iſtâ: decurrere perge
Quod recto virtus rramite monſtrat iter.
Perdius & pernox Medicorum evolvere ſcripta
Perge, *Machaoniâ* tollere & arte malum.
Sic fueris quamvis poſt ultima fata. ſuperſtes,
Ut volites vivus docta per ora virûm.

IOSOPHATO GEERDINXIO

Poſtquam Medicinæ doctor creatus eſſet.

QUæ pectus laudum ſtimularat tanta cupido
O Juvenis præclare tuum? quis te ardor honeſti
Fervidus impulerat, durum ut certamen inire
Non formidares, & honorum intrare palæſtram?
An non ut raras certo velut indice dotes

Ingenij

Ingenij prodas, doctrinæ & ſigna probatæ,
Et tandem palmæ victricis honore fruaris,
Poſt vigiles curas, atque exantlata laborum
Tædia? morborum nonne ut perquirere cauſas,
Corporibuſq; ægris, prudens adhibere medelam
Poſſis? propoſitum mentis ter nobile. certè
Laudibus extolli quævis per ſecula dignum.
Annuat & votis pater, & tua vota ſecundet
Phœbus, & *Aonidum* dulciſſima turba *Sororum*
Te *vatem* bifidi *Parnaſſi* vertice montis
Sublimem ſtatuant. at nunc tibi debita ſume
Præmia, & inſignes titnlos; inſignia honorum
Suſcipito. quæ Leyda ſuis conferre ſuevit
Athletis, vultum convertere pergito, qnà te
Improbus impellit labor, & clariſſima virtus.
Pergito conſtanter, *Juvenis*, nec marcida luxu
Ocia, languor iners, mora vel te tarda morentur
Inceptnm decurrere iter. te *Coa* vetuſtas,
Famaque concelebrabit anus, pendentia fila
Parca tibi tradet quamvis invita, graveſque
Cogentur febres ſuccumbere *Pæonis* arti.

LEONARDO vander ELST,

Cum pro conſequendo in V. I. Doctoratus gradu diſputaret.

Haud

HAud aliterquã cum rupes validiſſima *Ponti*,
Cui paterHippotades furijs accẽſus iniquis
Prælia dira movet, tempeſtatumq; procellæ,
Undique & horriſonis turbatum fluctibus æquor,
Excidium minitantur atrox, triſtemque ruinam,
Mole ſuâ obſiſtit, ventorumque irrita ſpernit
Flamina, & *Oceani* vires irridet inanes
Robore freta ſuo: tua ſic fortiſſime miles
In *Themidos* caſtris mens omni inſtructa paratu
Doctrinæ, adverſos animis ingentibus ictus
Excipit, atque hoſtes certatim bella moventes
Exuperat, non ingenii vivacis acumen
Argutum, non inſidias, fraudeſque paratas
Formidat; ſic te generoſior incitat ardor
Mentis, ut egregio *Mavorte* reſiſtere poſſis
Hoſtibus infeſtis, clypeo atque potentibus armis
Undique munitus, potis es diſſolvere nodos
Difficiles legum, teliſque retundere tela,
Donec ad optatum perducas prælia finem.
Sideream ipſa tibi mentem, vireſque ſecundas,
Eventumque dedit felicem ſidere ſummo
Lapſa *Themis*; tibi, dum conferta per agmina tendis
Se fidam adjunxit ſociam, cumulatque merentem
Clarorum te laude virûm, lauroque virenti
Exornat caput, & ſacra in penetralia ducit.
At modò fas fuerit, *Juvenis* lectiſſime, paucis
Victorem compellare, & calcaribus ultrò
Currentem ſtimulare mihi. te vivida virtus
Extimu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
449 D 78

Extimulet magis átque magis. perge ire per illum
Pythagoræ rigidum prudentis tramitem, & æquum
Iuſtitiamque colas : à te procul exulet omnis
Segnities, curſus vel tardatura tenorem
Formido. te *Diva* viris illuſtribus olim
Aſtræa adjunget, tituliſque & honoribus amplis
Clarabit, nulliſque tuum delebile ſeclis
Extollet nomen, patriam & te cive beabit.

IOHANNI BODÆO à STAPEL
AMSTELODAMENSI.

Cum pro gradu Doctoratus in Medicina conſequendo publicè diſputaturus eſſet.

QUondam cùm facilem gremio prædivite victum
Sponte ſuâ ęvigenis ſuppeditaret humus,
Sedaretque ſitim potus nulla arre paratus,
Et fons, aut rivus lenè fluentis aquæ,
Ornabat niveus mortalia pectora candor,
Et placidus veræ relligionis amor.
Aurea dixiſſes tunc ſecula, numinis almi
Cum viguit metus, & pacis *oliva* ſacræ.
Non fraus ulla fuit, non ambitioſa cupido,
Quiſque tenax recti, juſtitiæque fuit.
At poſtquam inferni diris emerſa caminis
Extulit ad ſuperos, ſæva libido, caput,

Paupertas ſubitò eſt totum graſſata per orbem,
Et *Bellona* ferox, & maleſuada fames.
Vndiq́ue lativagi mundi per compita *Mavors*
Horrendum furit, & claſſica triſte canit.
Morborum variæ ſpecies ſunt deinde ſecutæ,
Et tacito ſubiit mors inopina pede.
Mordaci hos ſerpens fœdat prurigine lepra,
Aut ægros vexat tarda podagra pedes.
Illos excruciat lentis cruciatibus atrox
Tabes, & lethi cogit adire vias.
Tandem hominum *Phœbus* ſortē miſeratus ab alto,
Flexit in humanum lumina blanda genus.
Herbarumque dedit vires noviſſe latentes,
Quarum præſidio ſit reparanda ſalus.
Innumeros motus pietate eduxit alumnos,
Qui lapſas vires reſtituiſſe queant.
Inter quos olim famâ ſuper aſtra vehetur,
Nobilis herbarum cognitione, *Stapel*.
Luctantes animas reddet, mortique propinquas,
Et tribuet vitæ munere poſſe frui.
Hoc mihi fatidico vates prædixerat olim
Delius, & ſummo nata *Minerva Jove*.

Honori
IOANNIS BODÆI à STAPEL,

Cum in inclyto Lugdunenſium Lycæo Medicinæ Doctor proclamaretur.

Tu

TU quoq; materiem nobis præclare miniſtras
Carminis, o Juvenis, *Phœbæi* limina templi
Poſt varias curas, labyrinthæoſque labores
Quando petis, ſacra decorandus tempora lauru.
O lætum, fauſtumq; diem! quod cœlitus aſtrum
Affluit! o optata diu, votiſque petita
Tempora mille tibi! ſupremi numinis aura
Adſpirante, tibi Medicinæ plena per æquor
Vela dare, & tantam penitus perrumpere molem
Conceſſum eſt, ſacro *Pallas Jovis* edita partu
Te meritis ornat titulis, vulgoque profano
Te *Myſtam* Bodæe ſuum ſecernere gaudet.
Sit felix tibi tantus honos. contendito fauſto
Sidere, quò mens alta vocat. Jam pergito *Spartam*
Exornare tuam. Si ſum modò verus aruſpex,
Te ſuper æthereos tractus fama inclyta tollet,
Perpetuoque tuum nomen celebrabitur ævo.

CAROLO MARTINIO
AMSTELODAMENSI,
Cum ad ſummum in Iurisprudentiâ gradum publicè eveheretur.

ARdua temnit humū virtus, pinnęq; potentis
Remigio æthereos animoſa ambire receſſus
Audet, & egregio meritos exornat honore:
Sed labor aſſiduus, ſtudiumque & cura ſoporem
Abrumpens placidum (ſic ſtat ſententia ſummo
Cœlicolûm regi) titulos, celebreſque triumphos

Anteeunt. virtus genoroſa & neſcia vinci,
Et labor immenſus, laudemq; decuſque pararunt
Tempus in omne tibi, Iuvenum lectiſſime. Perge
Quotecunque trahunt, pulſa formidine, fata.
Nec dubita: *Themidos* venerandæ limina templi
Sacrata ingreditor; tibi *Lugdunenſis* honores
Curia decernit, clarſuſque *Academicus* ordo.
Ergo poſt operas, exantlatoſque labores
Debita ſuſcipito ſudoris præmia; fauſtum
Er canit & celebrat circumflua turba juventæ
Hanc lucem, qua Phœbæis tua fama quadrigis,
CAROLE MARTINI, vehitur. decurrere perge
Illud iter, nec te ſtimulet niſi maſcula virtus,
O patriæ immortale tuæ columenque, decuſque.

Ad WILHELMVM DEDEL

Pro ſummo Doctoratus gradu in jure conſequendo diſputantem.

ASſiduus quantũ labor, atq; induſtria mentis,
Nec non ſagacis ingenî valeat vigor,
Artibus & ſtudiis quod totũ impenditur al-
Tu diſputatione nobiliſſima, (mis,
Exemploque tuo miles ſtudioſe probaſti:
Nam quot ferè nocturno olivo immortuus
Inſomnes luci noctes adjunxeris unus,
Quis explicare verſibus dignis queat?
Tu legis, & relegis ſinuoſa volumina legum,
Nulliſ-

Nulliſque parcis impiger laboribus,
Atque antiquorum ſtudioſâ indagine ſcripta
Revolvis, & quæ *Baldus* atque *Bartholus*
Venturo præclara ævo monumenta ſacrarunt.
Vincis labotum pondera, & ſcopulos tui
Viribus ingenij, & magnum maris æquor araſti,
O helluo utriuſque juris maxime,
Inſuper oppoſitæ perplexa ænigmata turbæ
Solviſſe, ſicut alter *Oedipus*, potes.
Detegis & clypeo veri ſeptemplice fretus
Fraudes, & arte diſcutis ſophiſmata.
Perge decus Iuvenum, cœptum ne deſere curſum,
Urgere nobile inſtitutum pergito.
Scandito virtutis, magnis conatibus, arcem,
Culmenque honoris, quóque virtus incitat
Ito, & quò genij rapit impetus. I pede fauſto,
Sic debitam tibi obtinebis lauream.

FRANCISCO THYSIO
ANT. F.

Cum præſide Clariſſ. eruditiſſimoque viro D: FRANCONE BURGERSDICIO *Art. Lib. Mag. & Peripateticæ Philoſophiæ Profeſſore digniſſ. diſputaret.*

QUiſná eſt hic miles multo qui milite cinctus,
Certamen dubium ſolus inire parat?

Provocat atque ultrò ſocios in bella paratos,
Nec trepidat validâ belligerare manu?
Inſultus quiſnam hoſtiles umbone repellit
Fortior, & victo ex hoſte trophæa refert?
Eſt præſtans juvenis probitate & fortibus auſis,
Quem placido aſpexit lumine *Apollo* pater.
Ille eſt quem *Pallas* naſcentem in luminis auras
Amplexa eſt, placido fovit & in gremio.
Flumine *Caſtalio*, & ſacro cui rore labella
Proluit, & docto jam facit ore loqui.
Doctas quando theſes facundæ flumine linguæ
Tutatur, ſtupuit lecta corona virûm.
Mirata eſt dotes ſtudioſæ turba juventæ
Ingenij, & ſocij pendet ab ore ſui.
Qui te promerito THYSI haud dignatur honore,
Abnuit & nomen condecorare tuum,
Ille mîhi haud æqui, liceat modo vera fateri,
Qualiſcunque ſiet, judicis inſtar erit.
Hos tibi devoto quos ſcripſi pectore verſus
Suſcipias lætâ fronte, animo, atque manu.
Tempus erit cum te dicam majore cothurno,
Si cœptis faveat *Magnus Apollo* meis.

Ad IOHANNEM HAPPART,

Poſtquam ſub Aquilâ Reverendi, doctiſſimiq́ viri D. ANTONII VVALÆI *SS. Theol. doct. & Profeſſ. feliciter diſputaret.*

Vt

VT exprimentes diligentiæ typum,
Celeri volatu prata floreſcentia,
Hortique oberrant ambitum cujuſlibet,
Et inſidentes floribus variis cibos
Apes tenellos, atque nectar melleum,
(Certis quod alveariis & cellulis
Aptè recondere, uſui & mortalium
Poſſint parare) congerunt, ſtipant, ſtruunt,
Æſtate quando *Sirius* calentibus
Matura dona *Cereris* urit ignibus:
Sic tu juventæ Chriſtianæ haud infimum
Decuſque, honoſque, *Jane*, ſedulos greges
Apum æmulatus, colligis præſtantia
Scripta è probatis paginæ ſanctæ libris,
Sententiarum dogmatumque copiam
Depromis, atque debito quævis loco
Digeſta, doctis inſeris theſibus tuis,
Queis veritatis ſpiritalibus aſſeris
Protectus armis miles innocentiam:
Et quæ tenenda ſacra tradit pagina, &
Credenda nobis, maximâ conſtantiâ
Vultus tueri pergis, ac in turpia
Opinionum monſtra ſedibus inferis
Excita, magno pectoris conamine
Inſurgis, & virile robur exeris,
Virique ſub clariſſimi tutamine
Firmo WALAEI, præſidis doctiſſimi,
Vt miles acer prælio, verbi Dei

Mucro-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
449 D 78

Mucrone ſtricto exterminas tetram luem.
Sic, ſic piorum vota reſpicit pater
Cœleſtis, & victoriâ ſuis frui
Permittit, ignorantiæque noxiæ
Pulſis tenebris veritas effert caput.
Tu Chriſtianæ veritatis optime
Defenſor, ac *Athleta Chriſtum* laudibus
Celebra, piiſque gratiarum vocibus
Teſtare quanto geſtiat mens gaudio,
Aurâ favente numinis cùm cœlitus
Rebus peractis proſperè è certamine es
Victor reverſus, & triumphas omnium
Oculis videndus. conditor rerum bonus
Sic Diſputationibus præeſt Deus,
Æquuſque cauſam judicat judex ſuam.

Soli Deo honor & gloria.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
449 D 78